

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta** : 2194

**Auteur(s)** : Guillaume d'Anéeles [particulier]

**Bénéficiaire(s)** : Richard Dollart [particulier]

**Genre d'acte** : charte

**Authenticité** : non suspect

**Datation** : 1286, 24 mars

**Lieu d'émission** : Bretteville-sur-Laize

**Action juridique** : vente

**Langue du texte** : latin

## Analyse

« Cest la lettre de Guillaume de Aneeles(analyse du milieu du XIVE s.) ».Guillaume d'Anéeles vend, à Richard Dollart, les redevances sur le moulin de Bretel pour 8 livres tournois.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Saige Gustave, *Cartulaire de la seigneurie de Fontenay le Marmion*, Monaco, Imprimerie de Monaco, 1895, n° LXXXIV, p. 115-116.

Texte établi d'après a

Notum sit omnibus presentibus et futuris quod ego Villelmus de Aneriis dedi, vendidi et concessi Ricardo Dollart, videlicet duo sexteria ordeï percipienda annui redditus super molendinum de Bretel, in mense septembris, ad mensuram de Bretavilla super Lesiam, tenenda et habenda, et jure hereditagio possidenda predicto Ricardo et heredibus suis bene et in pace, sine conditione aliqua mei vel heredum meorum de cetero facienda. Et dictus Ricardus et heredes sui suam plenariam justiciam poterunt exercere in predicto molendino pro predictis duobus sexteriis ordeï nisi soluta fuerint ad terminum supradictum, sicut ego faciebam et de jure facere poteram et adhuc facio pro aliis duobus sexteriis mihi supra dictum molendinum remanentibus. Et sciendum est quod si in aliquo tempore advenerit quod predictum molendinum deciderit et ad nichilum devenerit, in modum quod dictus Ricardus et heredes sui suam justiciam non valeant exercere pro predictis duobus sexteriis ordeï ut supra dictum est, ego Villelmus de Aneeres, trado dicto Ricardo vel heredibus suis in contraplegium predictorum duorum sexteriorum ordeï, duas pecias terre sitas ad viam de Clarel ; una sita est inter terram Rogeri le Corder, ex una parte, et terram Villelmi le Petit, ex altera ; altera pecia sita est juxta terram Ricardi Lorrel, hoc est medietas cujusdam pecie terre quam ego ibi habeo, salvo jure capitalium dominorum. Quas pecias terre ego vel heredes mei vendere non possumus neque de cetero poterimus dare, feodare, elemosinare, neque alicui aliquo alio modo alienare sine assensu et voluntate predicti Ricardi Dollart aut heredum suorum. Et ego, predictus Villelmus et heredes mei, debemus, tenemur et de cetero tenebimur predicto Ricardo et heredibus suis predicta duo sexteria ordeï et terras in contraplegio positas, et omnia ut superius sunt expressa garantizare et defendere contra omnes gentes. Et pro hac autem venditione et concessione, predictus Ricardus Dollart mihi dedit octo libras turonenses, et ego teneo me bene pro pagato. Et quod hoc firmum et stabile perseveret in futurum, hanc presentem cartam impressione sigilli mei confirmavi. — Actum Domini M° CC° octuagesimo quinto, mense martii, die dominica ante Annunciationem Domini, coram parochia de Bretavilla super Lesiam.